

DE PAROECIA UT COMMUNITATE CHRISTIFIDELIUM

SUMMARIUM: Autor thema aggreditur de conceptu paroeciae. Considerat paroeciam ut communitatem christifidelium. Ante omnia (I) elementa sumit ex Codice, dans paroeciae definitionem et elementa huiusmodi analysi subiciens. Postea (II) addit suas posteriores animadversiones, explicans quod paroecia est quodammodo Ecclesia et considerari debet ut communitas christifidelium in sensu can. 515, § 1.

De paroecia loquentes, de duobus obiectis tractare debemus, scilicet de paroecia in sua *essentia* (quid est paroecia?) et de paroecia in sua *activitate* (quid agit paroecia?).

Haec videbimus iuxta Codicem. Oportet, tamen, ut examini subiciamus etiam doctrinam Vaticani II, quia — uti scimus — Codex intellegi debet sub luce praesertim Concilii (ad normam Constitutionis Apostolicae *Sacrae Disciplinae Leges*).

Aggrediamur nunc tractationem thematis de paroeciae essentia (dum in proximo articulo, si Deus dabit, loquemur de paroeciae activitate).

Proinde videbimus: I. elementa quae Codex nobis offert; II. posteriores animadversiones¹.

¹ Ad ampliorem considerationem de conceptu paroeciae cf. possunt scripta mea, cum alia bibliographia: *Il concetto di parrocchia nel Vaticano II*, in *La Scuola Cattolica* 106 (1978) 123-142; *Quaedam de conceptu paroeciae iuxta doctrinam Vaticani II*, in *Periodica de re morali, canonica, liturgica* 70 (1981) 119-140; *Il significato del termine «parrocchia» nella canonistica susseguente*

I. ELEMENTA EX CODICE

Si paroeciae essentiam iuxta Codicem explicare intendimus, iuvat — meo iudicio — aliquos praesertim textus considerare, qui sunt: can. 515 (cf. can. 516, § 1); 518; 519; 526².

Incipiamus citatione trium textuum.

«Paroecia est certa communitas christifidelium in Ecclesia particulari stabiliiter constituta, cuius cura pastoralis, sub

al Codice del 1917, in La Scuola Cattolica 109 (1981) 210-235; 497-531; De paroeciae personalitate iuridica a Codice 1917 usque ad Codicem 1983, in Periodica de re morali, canonica, liturgica 74 (1985) 325-388; Il concetto di parrocchia, in AA.Vv., La parrocchia, Bologna (Dehoniane), 1987, 29-82; Il concetto di parrocchia nel nuovo Codice di diritto canonico, in Quaderni di diritto ecclesiale 2 (1989) 127-142.

² Quoad historiam horum canonum, cf. *Communicationes* 3 (1971) 187 ss. (cf. 188); 4 (1972) 31 ss. (cf. 32); 39 ss. (cf. 41-42); 5 (1973) 40 ss. (cf. 41); 6 (1974) 29 ss. (cf. 45-46); 199 ss. (cf. 205); 8 (1976) 23-31; 9 (1977) 62 ss. (cf. 74). Sub fine anni 1977, paratum est, inter alia, *Schema canonum libri II De populo Dei* (Typis Polyglottis Vaticanis) 1977, ubi nostra materia invenitur in can. 222 349-394. Schema mittitur Organismis consultationis die 15 novembris 1977 (cf. *Communicationes* 9 (1977) 227; cf. 257-258). Annis 1979-1980, Schema cum animadversionibus examini subicitur ex parte Coetus «De Populo Dei». Pro nostra materia cf. *Communicationes* 12 (1980) 283; 13 (1981) 146-151; 271-297; 304-305. Medietate anni 1980, pervenitur ad *Schema Codicis Iuris Canonici* (Typis Polyglottis Vaticanis) 1980, ubi nostra materia continetur in can. 341, § 1 454-491. Schema examini subicitur Pontificiae Commissionis Codicis Iuris Canonici recognoscendo. Animadversiones cum Responsionibus continentur in *Relatione*. Pro nostra parte cf. *Communicationes* 14 (1982) 123; 221-228. Post *Plenariam* Pontificiae Commissionis dierum 20-28 octobris 1981 (cf. *Communicationes* 13 [1981] 155-270), Schema ultimatum examini subicitur, usquedum perventum est ad promulgationem novi Codicis. Cf. etiam *Communicationes* 17 (1985) 91-97; 18 (1986) 69-71; 101.

auctoritate Episcopi dioecesanī, committitur parochō, quā proprio eiusdem pastori» (can. 515, § 1).

«Paroecia regula generali sit territorialis, quae scilicet omnes complectatur christifideles certi territorii; ubi vero id expediat, constituentur paroeciae personales, ratione ritus, linguae, nationis christifidelium alicuius territorii atque alia etiam ratione determinatae» (can. 518).

«Parochus est pastor proprius paroeciae sibi commissae, cura pastoralī communitatī sibi concreditae fungens sub auctoritate Episcopi dioecesanī, cuius in partem ministerii Christi vocatus est, ut pro eadem communitate munera exsequatur docendi, sanctificandi et regendi, cooperantibus etiam aliis presbyteris vel diaconis atque operam conferentibus christifidelibus laicis».

Ex quibus textibus, quidam conceptus paroeciae erui videtur, qui exprimi potest sequentibus verbis: «Paroecia est communitas christifidelium, regula generali solummodo per territorium determinata, in Ecclesia particulari, stabiliter constituta, habens parochum, qui agit ut pastor proprius, sub auctoritate Episcopi dioecesanī, cum cooperatione aliorum presbyterorum, diaconorum et christifidelium laicorum».

Analysi subiiciamus singula elementa, referentiam facientes — sicut diximus — ad Vaticanum II³.

1. «Communitas christifidelium»

a) Verbum «communitas» consulto a Coetu «De Populo Dei», in Sessione diei 19 aprilis 1980, electum est. In *Schemate 1977* verbum inveniebatur «portio». Hoc idem erat ac in definitione dioecesis ut iam

³ Cf. speciatim *Il concetto di parrocchia nel Vaticano II*, cit.; *Quaedam de conceptu paroeciae iuxta doctrinam Vaticani II*, cit.; *Il concetto di parrocchia*, cit. (nt. 1) 58-72. Cum bibliographia in articulis citata.

aderat in *Christus Dominus* 11 et nunc manet in can. 369.

Coetus mutavit verbum «portio» in verbum «communitas». Haec est ratio mutationis: «Verbum “portio” exprimit potius factum physicum staticum, quam dynamicam interactionem inter plures personas sub eodem Pastore unitas»; et «... adspectus communitarius apparet magis in ambitu paroeciae» (quam in ambitu dioecesis — in cuius definitione servatur quidem verbum «portio»)⁴.

De verbo et conceptu «communitas» alia infra dicemus.

b) Hic valeat animadversio quod hac definitione «paroecia est communitas christifidelium». Codex finem imponit sat disputatae quaestioni de definitione paroeciae, longaeque inter auctores de hac definitione differentiae, cui ansam dederat ille can. 216 veteris Codicis: paroecia, enim, varie intellegebatur, sive territorium, sive territorium cum ecclesia, populo, rectore, sive officium parochi, sive communitas christifidelium⁵.

Concilium Vaticanum II continet conceptum paroeciae. Haec, omnino certe, concipitur ut communitas personarum. Concilium adhibet varias locutiones;

⁴ Cf. *Communicationes* 13 (1981) 147. De cetero, can. 528, § 2 habet locutionem: «congregationis fidelium paroecialis»; can. 529, § 2: «communione paroecialis».

⁵ Cf. *Il significato del termine «parrocchia»*, cit. (nt. 1) 210-235; 497-531; *Il concetto di parrocchia*, cit. (nt. 1) 23-57. Cf. etiam *Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant* (n. 8), in *Communicationes* 1 (1969) 84: «Ecclesiae particulares certo certius hodie definiri nequeunt partes territoriales in Ecclesia constitutae, sed, secundum praescriptum Decreti *Christus Dominus*, n. 11, singulae sunt “Populi Dei portio...”». Cf. etiam *Communicationes* 8 (1976) 23.

ex. gr.: «fidelium coetus»⁶; «fidelium congregationes»⁷; «portio gregis dominici»⁸.

2. «Regula generali solummodo per territorium determinata»

a) Communitas christifidelium per territorium determinatur, hoc sensu quod fideles ad certum territorium pertinentes efformant illam communitatem.

⁶ Cf. *Sacrosanctum Concilium* 42,1; cf. etiam 42,2: «communitatis paroecialis».

⁷ Cf. *Lumen gentium* 26,1; 28,2; *Presbyterorum ordinis* 5,1.

⁸ Cf. *Lumen gentium* 28,2. Pro textibus *Sacrosanctum Concilium* 42,1; *Lumen gentium* 26,1; 28,2; *Presbyterorum ordinis* 5,1, cf. etiam *Il concetto di parrocchia nel Vaticano II*, cit. (nt. 1) 124-128; *Il concetto di parrocchia*, cit. (nt. 1) 58-63. Textus citati legi possunt in aliqua synopsi (cf. *Quaedam de conceptu paroeciae iuxta doctrinam Vaticani II*, cit. (nt. 1) 121, in nota 7).

De historia horum textuum, cf. *Il concetto di parrocchia nel Vaticano II*, cit. (nt. 1) 124-127, in notis 2; 5; 7. Speciatim quoad *Lumen gentium* 26,1 bene notetur quod hic non agitur tantum de dioecesi, verum etiam de paroecia (cf. infra notam 35).

Pro aliis textibus Concilii, cf. *Il concetto di parrocchia nel Vaticano II*, cit. (nt. 1) 129-135.

Pro auctoribus qui ante Concilium putabant paroeciam esse communitatem, cf. *Il significato del termine «parrocchia»*, cit. (nt. 1) 497-522; spec. 511-522; *Il concetto di parrocchia*, cit. (nt. 1) 44-53, spec. 48-53.

Quod paroecia est communitas clare continetur in Adhortatione Apostolica *Christifideles laici*, diei 30 decembris 1988. Cf. praesertim n. 26, 1-2 et speciatim verba quibus paroecia apte describitur: «... paroecia est quaedam *fidei communitas* et communitas organica (litterae cursivae sunt in textu), idest constituta ex ordinatis ministris et e ceteris christianis, in qua parochus, qui Episcopi dioecesani vices gerit (*Sacrosanctum Concilium* 42), hierarchicum est unionis vinculum cum tota Ecclesia particulari». Et paulo supra: «... non idem potissimum est ac structura, territorium vel aedes; est potius familia Dei... communitas christifidelium (can. 515, § 1)».

Pertinentia ad territorium fit per domicilium vel quasi-domicilium (cf. can. 102-107). Qui habet domicilium vel quasi-domicilium in aliquo territorio, pertinet ad illud territorium et ita pertinet ad communitatem.

Fines territorii praecise definiuntur ipso decreto constitutionis paroeciae (cf. infra n. 4).

b) Territorium, proinde, elementum est quod, quamvis ineat in definitionem paroeciae, non pertinet essentiae paroeciae — sicut, e contra, putabat pars doctrinae canonisticae tempore ante Concilium⁹ —, sed est solummodo instrumentum ad determinandam certam communitatem¹⁰.

Vaticanum II, ex una parte, clare affirmat paroeciam esse communitatem «localem»¹¹, proinde communitatem per territorium determinatam; ex alia, vero, paroeciam concipiens ut communitatem fidelium — sicut supra iam affirmavimus — hanc visionem territorii claro modo testatur¹².

⁹ Cf. *Il significato del termine «parrocchia»*, cit. (nt. 1) 210-235; *Il concetto di parrocchia*, cit. (nt. 1) 32-40.

¹⁰ Cf. *Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant* (n. 8): «Cum tamen in determinanda Populi Dei portione... territorium quod christifideles inhabitant, plerumque uti aptior haberi possit ratio, momentum servant territorium, non quidem uti elementum Ecclesiae particularis constitutivum, sed uti elementum determinativum portionis Populi Dei...» (*Communicationes* 1 [1969] 84).

¹¹ Cf., ex. gr., *Sacrosanctum Concilium* 42,1: «fidelium coetus... paroeciae, localiter...»; *Lumen gentium* 26,1: «in... fidelium congregationibus localibus»; 28,2: «in... localibus fidelium congregationibus».

¹² Praeter textus Vaticani II supra citatos, cf. etiam, relate ad dioeceses: *Christus Dominus* 11,1 (cf. *Il concetto di parrocchia nel Vaticano II*, cit. [nt. 1] 129 et notam 10); 22-24; 30, 1; 38, 1; 39; 40,3. Fere semper textus loquuntur de territorio dioecesis (genitivum attributionis) et ita distinguunt inter territorium et ipsam

c) Maxime efferre oportet momentum principii territorialitatis. Etenim in eodem territorio insimul inveniuntur christifideles omnis quidem generis: iuvenes et senes, boni et mali, qui hoc modo sentiunt et qui alio modo, et ita porro. Sic revera fit ut vitetur sic dictus «elitarismus»: non adsunt solummodo fideles huius vel alterius generis, verum quidem omnes. Hoc modo, ex una parte principium effertur omnes fideles aequales esse coram Ecclesia et, ex alia, stimulus datur unicuique ut evincat differentias cum ceteris¹³.

d) Regula generalis, de qua diximus, non impedit quominus Episcopus dioecesanus erigere possit paroecias «personales». Hae sunt communitates christifidelium quae determinantur duabus praecise rationibus, vi, nempe, pertinentiae ad certum territorium et, insimul, elementis personalibus. Haec elementa indicantur a Codice: «ratione ritus, linguae, nationis»

dioecesim (cf., ex. gr., 22,2; 22,3; 23,4). In aliquibus tamen locis Decretum videtur uti locutione «territorio» pro «dioecesi»; ita in 40,3: «... omnes dioeceses aliaeque territoriales circumscriptiones quae iure dioecesibus equiparantur». De cetero — data occasione — agnoscere debet quod modus spontaneus loquendi talis est ut verbum «paroecia» vel «dioecesis» «territorium» significet. Ita cf., pro paroecia, can. 528, § 1: «Parochus obligatione tenetur providendi ut verbum Dei integre in paroecia degentibus annuntietur...», ubi «in paroecia degere» significat «in territorio (paroeciae) degere». Ita cf., pro dioecesi, can. 402, § 1: «Episcopus... habitationis sedem... in ipsa dioecesi servare potest».

¹³ Cf. *Apostolicam actuositatem* 10,2: «Paroecia exemplum perspicuum apostolatus communitarii praebet, omnes quotquot ibi invenit diversitates humanas in unum congregans...». Cf. *Communicationes* 1 (1969) 84 quoad territorium uti «plerumque... aptior... ratio» ad Populi Dei portionem determinandam.

Omnino evidenter, cum principio territorialitatis componi debet factum mobilitatis christifidelium, nostris praesertim temporibus. Factum hoc, tamen, non potest infirmare principium.

(can. 518), sed possunt esse etiam alia: «atque alia etiam ratione» (*ibid.*) Ex. gr.: fideles qui pertinent ad territorium huius dioecesis, vel partis huius dioecesis, vel huius magnae urbis, et insimul loquuntur hac lingua constitui possunt in paroeciam personalem.

e) Quaerere liceat: can. 518 in parte finali («atque alia etiam ratione determinatae») nonne concedit Episcopis nimiam amplitudinem potestatis in erigendis paroeciis personalibus¹⁴? Nonne hae «aliae rationes» nimiae fortasse esse possent et quodammodo infirmare principium territorialitatis cum illis beneficiis de quibus diximus? Proinde mihi videtur quod Episcopus dioecesanus sapiens esse debet, et sapientia in hoc consistit: eligere elementa personalia quae maxime sint obiectiva. Exemplum praebetur ab ipso Codice, ubi agit de catholicis universitatibus et possibilitatem inducit erectionem paroeciae pro studentibus seu ex studentibus (cf. can. 813)¹⁵.

3. «*In Ecclesia particulari*»

Hoc significat quod paroecia est pars communitatis amplioris, scilicet, praecise, Ecclesiae particularis¹⁶.

¹⁴ In *Codice 1917* can. 216, § 4, requirebatur indultum Apostolicae Sedis. Forsitam maiori respondisset prudentiae exigere etiam nunc indultum Sedis Apostolicae pro constitutione paroeciae personalis in casu «aliorum rationum».

¹⁵ In *Communicationes* 4 (1972) 42: ratio pro constitutione paroeciae personalis est «quoties et quamdiu utilitas curae pastoralis id suadeat». In *Communicationes* 6 (1974) 46 invenimus rationem «di una più agile organizzazione della cura animarum nell'ambito diocesano». Cf. etiam *Communicationes* 8 (1976) 24.

¹⁶ Locutione «Ecclesia particularis» intellegitur — uti scimus — non solum «dioecesis», verum etiam «praelatura territorialis», «abbatia territorialis», «vicariatus apostolicus», «praefectura apo-

Quod evidens fit in processu genetico paroeciae: haec, enim, enascitur per divisionem¹⁷ Ecclesiae particularis in multiplices communitates¹⁸. Et in hoc paroecia claro modo apparet ut pars communitatis amplioris, scilicet communitatis dioecesis. Nisi existeret, prioritare logica et etiam reali, communitas dioecesis, minime existeret communitas paroeciae.

Vaticanum II clare indicat quod paroecia enascitur per divisionem dioecesis in varios «fidelium coetus», ita ut paroecia sit «dioecesis pars» et — imagine omnino apta — eius «velut cellula»¹⁹.

His de causis, intellegere possumus quod paroecia concipi minime potest ut communitas independens a dioecesi, verum concipi debet ut omnino relativa dioecesi.

Haec relatio describi potest ut relatio subordinationis, duplici quidem sensu: paroecia accipit a dioecesi et paroecia confert dioecesi. Accipit quidem a dioecesi doctrinam ac normas pastorales et his confor-

stolica» et «administratio apostolica stabiliter erecta» (cf. can. 368).

¹⁷ Cf. can. 374, § 1: «Quaelibet dioecesis aliave Ecclesia particularis dividatur in distinctas partes seu paroecias».

¹⁸ Paroecia enascitur per divisionem Ecclesiae particularis, dum, e contra, Ecclesia particularis non enascitur (conceptualiter, quidem, non chronologice) per divisionem Ecclesiae universalis, sed potius Ecclesia universalis constat communiione Ecclesiarum particularium (cf. can. 368: «Ecclesiae particulares, in quibus et ex quibus una et unica Ecclesia catholica existit...»).

¹⁹ Cf. *Sacrosanctum Concilium* 42,1: de universo grege Episcopus «necessarie constituere debet fidelium coetus, inter quos paroeciae... eminent»; *Christus Dominus* 30,1: «... parrochi, quibus... cura animarum committitur in determinata dioecesis parte»; *Apostolicam actuositatem* 10,3: «... dioecesis, cuius paroecia velut cellula est». Imago cellulae continetur etiam in *Christifideles laici* 25,4 et recursus fit ad *Apostolicam actuositatem* 10,3.

mat activitatem suam; non concipitur paroecia quae habeat activitatem separatam a dioecesi, quae, aliis verbis, agat modo autonomo. Confert dioecesi, quia, si paroecia vivit, dioecesis vivit; vitalitas dioecesis pendet sane a vitalitate paroeciarum.

Quod verum est etiam in imagine «cellulae»: haec accipit a corpore et insimul confert corpori²⁰.

4. «*Stabiliter constituta*»

a) «*Stabiliter*»: paroecia erigitur non ad tempus definitum, sed ad tempus indefinitum. Evidenter, supprimi potest.

b) «*Constituta*»: paroecia constituitur decreto Episcopi dioecesani, «audito consilio presbyterali» (cf. can. 515, § 2).

c) Etiam *suppressio et notabilis mutatio* (ex. gr. in finibus) fieri etiam debent decreto Episcopi dioecesani, audito consilio presbyterali (cf. item can. 515, § 2).

5. «*Habens parochum, qui agit ut pastor proprius*»

a) «*Parochus*» est sacerdos (cf. can. 521, § 1). Praesentia sacerdotis, qua pastoris, ad essentiam pertinet ipsius conceptus communitatis paroecialis; communitas ecclesialis in genere, et proinde paroecia in casu, sine elemento hierarchico minime quidem concipi potest.

²⁰ Vaticanum II fovet relationem inter paroeciam et dioecesim. Cf., ex. gr., *Sacrosanctum Concilium* 42,2: «eiusque (paroeciae) relatio ad Episcopum in mente et praxi fidelium et cleri fovenda est»; *Apostolicam actuositatem* 10,3: «Colant iugiter (laici) sensum dioecesis, cuius paroecia velut cellula est...».

Vaticanum II multis in locis hoc effert, sive quoad communitatem dioecesanam²¹, sive quoad communitatem paroecialem²². Communitas ecclesialis concipitur solummodo ut hierarchice structurata²³. Et est praecise elementum pastorale illud quod in unitatem redigit pluralitatem singulorum²⁴.

²¹ Cf., ex. gr., *Lumen gentium* 26,1: «... pastoribus suis adhaerentes»; *Christus Dominus* 11,1: «Episcopo cum cooperatione presbyterii.. concreditur, ita ut pastori suo adhaerens ab eoque... congregata» *Ad gentes* 27,1: «... propriis pastoribus adhaerentem».

²² Cf., ex. gr., *Sacrosanctum Concilium* 41,2: «sub pastore»; *Lumen gentium* 28,2: «... (presbyteri) sanctificant et regunt»; cf. 26,1; *Christus Dominus* 30; *Apostolicam actuositatem* 10,2: «cum sacerdotibus suis uniti»; *Ad gentes* 27,1; *Presbyterorum ordinis* 5. Cum his textibus plene consonans *Christifideles laici* 26,2 (textus citatus in nota 8).

²³ Plures auctores, speciatim canonistae, temporis praeteriti, noluerunt concipere paroeciam tamquam fidelium communitatem, praesertim sub adpectu personalitatis moralis seu iuridicae, quia timebant ne irreperet in doctrinam catholicam conceptio fundamentaliter protestantica communitatis ecclesialis et paroeciae, vi cuius haec consideraretur ad modum merae consociationis fidelium sine elemento pastorali-hierarchico (sic dicta «*Kirchengemeinde*»). Sed, revera, affirmare debemus metum auctorum devictum esse, ex eo quod verus conceptus communitatis ecclesialis et paroeciae in se essentialiter includit elementum pastorale-hierarchicum. Pro conspectu auctorum, cf. *Il significato del termine «parrocchia»*, cit. (nt. 1) 511-522; *De paroeciae personalitate iuridica a Codice 1917 usque ad Codicem 1983*, cit. (nt. 1), spec. 346 ss.

²⁴ Cf. *Christus Dominus* 11,1: «Populi Dei portio... ita ut, pastori suo adhaerens ab eoque... congregata, Ecclesiam particularem constituat...», ubi quidem illa verba «ab eo congregata» clare insinuant pastorem esse elementum unificans pluralitatem fidelium; cf. etiam *Lumen gentium* 26,1: «(fidelium congregationes, quae, ... pastoribus suis adhaerentes, et ipsae... ecclesiae vocantur», proinde «ecclesiae» quia «pastoribus suis adhaerentes»; *Ad gentes* 27,1: «(missionarii)... Deo novum populum

b) «*Pastor*» dici potest ille qui munera exsequitur docendi, sanctificandi et regendi (cf. can. 519).

c) «*Proprius*» significat quod pastor agit nomine proprio.

d) *Unaquaeque* paroecia habet parochum, et quidem unum (cf. can. 526, § 2).

e) *Tamen* dantur *aliae* possibilitates, nempe sequentes:

aa) plures paroeciae vicinae habent unum parochum (cf. can. 526, § 1);

bb) una vel plures paroeciae habent ut parochum coetum sacerdotum, qui agunt «in solidum», sub ductu sic dicti «moderatoris» (cf. can. 517, § 1).

cc) una paroecia committitur, ex sacerdotum penuria, christifideli non sacerdoti (diacono vel laico, viro aut mulieri) vel coetui huiusmodi, ita, tamen, ut sacerdos constituatur qui curam pastoralem moderetur, evidenter inter plures paroecias (cf. can. 517, § 2)²⁵.

De omnibus his amplius agi debet in sede materiae pro unaquaque quaestione.

coadunaverunt, Ecclesiam localem propriis pastoribus adhaerentem». Etiam periodo ante Concilium fuerunt auctores, praesertim in ambitu linguae germanicae, qui fortiter affirmaverunt relationem inter elementum pastorale-hierarchicum ac unitatem communitalis ecclesialis, in hoc quidem sensu: elementum pastorale-hierarchicum hanc habet virtualitatem ut ex multis fiat unum, a.v., ex pluralitate fidelium, territorio vel aliter determinata, fiat communitas. Exempla auctorum cf. in *Il significato del termine «parrocchia»*, cit. (nt. 1) 515-522; *Il concetto di parrocchia*, cit. (nt. 1) 49-50.

²⁵ Cf. *Communicationes* 6 (1974) 46; 8 (1976) 23-24; 29-31; 13 (1981) 149; 291-294; 14 (1982) 221-222. Cf. etiam can. 542-544.

6. «*Sub auctoritate Episcopi dioecisani*»

Hoc significat: pastor paroeciae mitti debet, nempe nominari, ab Episcopo dioecesano et ab illo accipere normas pastorales.

Pastor paroeciae qui non sit in hac hierarchica communione minime concipi potest: parochus sine nominatione nullatenus est legitimus²⁶, actio pastoralis non coordinata est revera aliquid absonum.

Subordinatio parochi relate ad Episcopum in parallelo sistitur cum subordinatione paroeciae relate ad dioecesim. Duae relationes subordinationis sese ad invicem explicant: quia paroecia portio est communitatis altioris, eius caput sub dependentia invenitur auctoritatis altioris, vel, vice versa, quia caput paroeciae sub dependentia est capitis dioecesis, paroecia est communitas dependens a communitate dioecesana.

Vaticanum II de relatione parochi cum Episcopo duo elementa in lucem ponere videtur.

Prius elementum est subordinatio de qua supra locuti sumus: parochus est «sub auctoritate Episcopi»²⁷.

Alterum elementum est — dicamus — vicarietas parochi relate ad Episcopum: parochus Episcopi «vices gerit», parochus Episcopi loco stat²⁸, parochus

²⁶ Et etiam post initialem nominationem parochus manere debet in iusta relatione cum Episcopo.

²⁷ Cf. *Lumen gentium* 28,2: «sub auctoritate Episcopi»; *Christus Dominus* 30,1: «Episcopi cooperatores... parochi»; «sub illius auctoritate»; *Presbyterorum ordinis* 5,1: «Presbyteri cum Episcopo hierarchice colligantur»; *Sacrosanctum Concilium* 42,2: «relatio ad Episcopum»; *Lumen gentium* 26,1: «Episcopum... quocum consociantur...».

²⁸ *Sacrosanctum Concilium* 42,1: «sub pastore vices gerente Episcopi». Ita *Christifideles laici* 26,2 (textus citatus in nota 8).

Episcopum «quodammodo praesentem reddit»²⁹. Ita dicere liceat: qui videt parochum videt quodammodo Episcopum et hac ratione figura parochi pulchre effertur.

7. «*Cum cooperatione aliorum presbyterorum, diaconorum et christifidelium laicorum*»

De cooperatione laicorum duo efferre liceat.

a) Codex videtur potius loqui de *cooperatione* laicorum missioni *parochi*, neque, proinde, de *ipsa* laicorum missione propria. Visio probabiliter praecisior fit in alio loco: «Partem quam christifideles laici in missione Ecclesiae propriam habent, parochus agnoscat et promoveat (can. 529, § 2), ubi proinde loquitur Codex de activitate laicorum propria, non de simplici adiutorio missioni parochi propriae.

b) Activitas laicorum videtur compleri modo peculiari in consilio pastorali paroeciali (can. 536) et in consilio a rebus oeconomicis paroeciali (can. 537), ubi laici partem habent, quamvis hoc fiat «voto tantum consultivo» (uti admonet Codex), etiam activitati gubernii paroeciae³⁰.

²⁹ *Lumen gentium* 28,1: «Episcopum... quodammodo praesentem reddunt»; *Presbyterorum ordinis* 5,1: «eum (Episcopum) quodammodo praesentem reddunt».

³⁰ Quoad activitatem omnium christifidelium in communitate paroeciali cf. optima in *Christifideles laici* 26-28.

Pro nonnullis elementis, quae conceptum paroeciae compendiare diximus, cf. etiam duas allocutiones Summi Pontificis: 1) *Ad Episcopos Longobardiae*, in occasione visitationis «Ad Limina Apostolorum», diei 18 decembris 1986, in *L'Osservatore Romano* 19 decembris 1986; 2) *Ad Episcopos Galliae*, in eadem occasione, diei 30 ianuarii 1987, in *L'Osservatore Romano* 31 ianuarii 1987. Ibi tanguntur variae quaestiones, ex. gr., de paroecia ut commu-

II. ULTERIORES ANIMADVERSIONES

Ex analysi Codicis, sub luce, quidem, Vaticani II, retinere possumus conceptum paroeciae, quem in initio nostrae reflexionis synthetice proposuimus.

Qui, tamen, conceptus nunc compleri debet ulterioribus animadversionibus, quae sunt duae sequentes: paroecia est «quodammodo» Ecclesia; paroecia est «communitas», cum omnibus elementis huius conceptus uti adhibetur in can. 515, § 1.

1. *Paroecia est «quodammodo» Ecclesia*

a) In Codice de hac re nullum invenitur indicium, id est nullibi affirmatur paroeciam esse Ecclesiam.

Quod, e contra, paroecia est «quodammodo Ecclesia» continetur in Concilio, sicut modo analytically paulo infra dicemus.

Si Codex nihil de hac re continet, magnus, fortasse, defectus non est, quia haec conceptio, etiamsi explicite non affirmetur, tamen certe subintellegitur, ex eo saltem quod Codicem interpretari debemus praecise sub luce Vaticani II³¹.

nitate et ut Ecclesia, de parochia in relatione cum Episcopo (*Ad Episcopos Longobardiae*, n. 4), de vitanda consideratione tantum «selectorum» (n. 4), de activitate omnium christifidelium (n. 5); de paroecia ut communitate ecclesiali (*Ad Episcopos Galliae*, n. 3), de vitanda consideratione tantum «selectorum» (n. 5), de activitate omnium christifidelium, speciatim in consiliis pastoralibus (n. 6).

³¹ De themate paroecia-Ecclesia animadversiones factae sunt in Coetu «De Populo Dei» dierum 8-9 maii 1980, sive relate ad activitates parochi, de quibus nunc in can. 528 (cf. *Communicationes* 13 [1981] 278: «... il secondo Consultore... ricorda che nella

Alia ex parte, clare agnoscimus quod maximi fuisset momenti etiam expressis verbis affirmare paroeciam esse Ecclesiam, quia hoc modo clare paroecia distincta fuisset et proinde elata quoad omnes ceteras communitates in Ecclesia: si, enim, paroecia est, saltem quodammodo, Ecclesia, tunc in paroecia praesentes sunt omnes attributiones Ecclesiae, id est, omnes activitates proindeque obligationes et iura, quae habet Ecclesia (evidenter cum subordinatione dioecesi — sicut supra notavimus), dum in aliis communitatibus praesentes quidem sunt non omnes attributiones Ecclesiae, sed solummodo illae quae respondent statutis illius coetus peculiaris (ex. gr., activitas pro pauperibus).

b) Nunc videamus quid contineatur in Vaticano II.

In *Sacrosanctum Concilium* 42,1 ita legimus: «... fidelium coetus, inter quos paroeciae, localiter sub pastore vices gerente Episcopi ordinatae, eminent: nam quodammodo repraesentant Ecclesiam visibilem per orbem terrarum constitutam»³². In *Lumen gentium* 28,2 sermo est de presbyteris, de quibus ita dicitur: «In singulis localibus fidelium congregationibus Episcopum... quodammodo praesentem reddunt... Qui sub auctoritate Episcopi portionem gregis

parrocchia, in modo concreto, si rende visibile la Chiesa di Cristo, e questo nel canone va detto»), sive relate ad functiones parochiae peculiariter commissas, de quibus nunc in can. 530 (cf. *Communicationes* 13 [1981] 282: «Il secondo Consultore propone di emendare il testo in modo che appaia chiaro che il parroco è responsabile... che l'immagine della Chiesa non venga pregiudicata nelle funzioni che si svolgono nell'ambito della sua parrocchia»).

³² Cf. *Ad gentes* 37,1: «Cum autem Populus Dei in communitatibus, praesertim dioecesanis et paroecialibus vivat, et in ipsis quodammodo visibilis appareat...».

Dominici sibi addictam sanctificant et regunt, Ecclesiam universalem in suo loco visibilem faciunt...»³³. In *Lumen gentium* 26,1: «Haec Christi Ecclesia vere adest in omnibus legitimis fidelium congregationibus localibus, quae... et ipsae in Novo Testamento ecclesiae vocantur... In his communitatibus, licet saepe exiguis et pauperibus... praesens est Christus, cuius virtute consociatur una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia»³⁴.

Proinde Concilium ita docet: «paroeciae... quodammodo repraesentant Ecclesiam visibilem per orbem terrarum constitutam» (*Sacrosanctum Concilium* 42,1). Verbum «repraesentare» intellegi potest non solummodo in sensu «repraesentatio esse», «signum esse» alius realitatis, verum etiam in sensu «praesentem reddere», ita ut haec realitas actualis et visibilis fiat. In eodem sensu cf. textus: «Episcopum... (presbyteri) praesentem reddunt»; «Ecclesiam universalem in suo loco (presbyteri et paroeciae) visibilem faciunt» (*Lumen gentium* 28,2). Modo adhuc clariore et fortiore, dicere possumus quod in paroecia «Christi Ecclesia vere adest» (*Lumen gentium* 26,1)³⁵, paroe-

³³ Cf. *Presbyterorum ordinis* 5,1: «... Presbyteri... (Episcopum) in singulis fidelium congregationibus quodammodo praesentem reddunt».

³⁴ Cf. *Apostolicam actuositatem* 18,1: «... ibi sum in medio eorum (Mt. 18,20)».

³⁵ *Relatio* officialis explicativa textus *Lumen gentium* 26,1 magnum habet pro nobis interesse. Dicitur enim: «Inseritur hic textus de *communitate eucharistica*, praesertim in Ecclesia locali, secundum decisionem Commissionis Doctrinalis... Consideratur autem Ecclesia particularis praesertim infra dioecesim, sive sit paroecialis, sive alia ratione convocetur, semper tamen sub dependentia ab Episcopo» (*Acta Synodalia* III-III, I, 253; litterae cursivae sunt in textu). Est etiam magni interesse *Relatio* explicativa textus *Lumen gentium* 28,2: «Ad alineam 3am: "Presbyteri,

cia *est* ipsa Ecclesia (cum referentia — uti patet — non directe ad Ecclesiam universalem, sed directe ad Ecclesiam particularem, seu dioecesanam) quoad hanc fidelium communitatem infra dioecesim. In paroecia Ecclesia adest et ea praecise de causa actualis et visibilis apparet. Hac ratione, singulae paroeciae in singulis locis Ecclesiam dioecesanam *actuunt et manifestant*. Et ea de causa, paroeciae «eminent» inter omnes «fidelium coetus» infra dioecesim (cf. *Sacro-sanctum Concilium* 42,1). De cetero, «(fidelium congregationes locales, inter quas etiam paroeciae enumerari debent) et ipsae in Novo Testamento ecclesiae vocantur» (*Lumen gentium* 26,1)³⁶. Haec veritas ita fortiter affirmatur ut communitas dicatur locus esse in quo «praesens est Christus» (*Lumen gentium* 26,1), etiamsi non facile sit conceptualiter determinare in quo praecise consistat haec «praesentia».

Verum est quod locutiones, quas citavimus, paululum mitigantur illo «quodammodo», quod consulto introductum est³⁷, ut dioecesi servari possit perfecta imago Ecclesiae. Nihilominus locutionum vis vere magna apparet.

c) Tunc quaerere possumus: *cur paroecia Ecclesiam particularem actuat et manifestat? est «quodammodo» Ecclesia?* Et hac de causa ab omnibus ceteris

ordinis”: de relatione *ad Episcopum*... In hac alinea 3^a primum respicitur ad sacerdotium prout in *Ecclesiis localibus* exercetur, quae suo modo imagines sunt Ecclesiae episcopalis. Ita ponitur fundamentum paroeciae, ut pro aliis schematibus necessarium esse videtur...» (*Acta Synodalia* III-III, I, 257-258; litterae cursivae sunt in textu).

³⁶ Sicut vidimus in nota praecedenti, verbo «ecclesiae» indicantur non solummodo dioeceses, verum etiam paroeciae.

³⁷ Cf. *Il concetto di parrocchia nel Vaticano II*, cit. (nt. 1) 124, in nota 2.

communitatibus in Ecclesia *distinguitur et effertur*? Ex eo quod — ut probe videtur — paroecia habet *structuram similem* structurae dioecesis. Quoad, enim, *elementum fidelium*, paroecia in se continet omnia genera personarum nec solummodo hoc vel hoc, sicut accidit in aliis communitatibus, puta in consociationibus. Quoad, insuper, *elementum hierarchicum*, paroecia est fidelium communitas, cuius caput est presbyter quippe qui, Episcopi vices gerens, Episcopum repraesentat, praesentem reddit. Ex his rationibus, paroecia habet structuram similem structurae dioecesis et ideo est «quodammodo» Ecclesia. In super et finaliter, paroecia habet omnes Ecclesiae attributiones activas.

d) Omnibus his rite perpensis, nunc quaestionem ulteriorem ponimus: terminologice et conceptualiter possumus legitime attribuere paroeciae *denominationem* «Ecclesiae»? Et, si ita, *quae locutio distinguere potest* paroeciam a dioecesi?

Quoad priorem quaestionis partem, statuta similitudine, propter rationes supra expositas, inter paroeciam et dioecesim, *nulla videtur difficultas* appellandi *paroeciam* «Ecclesiam»³⁸.

Quoad alteram, ne confusio, terminologica et conceptualis, inter paroeciam et dioecesim irrepat, possumus quidem denominare dioecesim Ecclesiam «*particularem*», ad servandam terminologiam Concilii et Codicis (cf., ex. gr., can. 368), et, fortasse, denominare paroeciam Ecclesiam «*localem*»³⁹.

³⁸ De cetero, in memoriam revocemus *Lumen gentium* 26,1: «... ecclesiae vocantur».

³⁹ Motivum eligendi verbum «localis» inveniri etiam potest in *Relatione Commissionis Doctrinalis*, quae explicat textus *Lumen gentium* 26,1 et 28,2 (cf. supra in nota 35). Ergo expressio

Quae locutio, ut mihi videtur, momentum habet, quia in lucem affert aliquam peculiaritatem paroeciae. Paroecia, enim, est communitas non solum territorialis, sed etiam localis, quia est communitas illorum fidelium qui Eucharistiae participare possunt *in eodem loco*, vel *ad idem altare*, et hoc quia, vel omnes insimul habitant in aliquo loco (paroecia localis) vel pertinent ad aliquam communitatem quae habet suam ecclesiam (paroecia personalis)⁴⁰. Haec peculiaritas momentum magnum habere videtur quia fideles, tali ratione, *realiter et personaliter* sese cognoscere et amare possunt et ideo Ecclesiam *modo concreto* actuare et manifestare⁴¹. Quoad hoc, vide etiam quod dicemus paulo infra (in n. 2).

e) Aliquod verbum hic addere forsitan iuvabit *de*

«Ecclesia localis» invenitur etiam in modo loquendi Commissionis Doctrinalis.

⁴⁰ Cf. K. RAHNER, *Per una teologia della parrocchia*, in *La parrocchia*, trad. ital., Roma, 1965, 43-53.

⁴¹ Quod paroecia sit Ecclesia cum variis elementis de quibus antea locuti sumus, fortiter effertur in *Christifideles laici* 26; 27,5. En textus: «Communio ecclesialis... magis immediate... et visibiliter exprimitur in *paroecia*, qui locus est ultimus ubi Ecclesia viget, immo quae quodammodo est ipsa *Ecclesia inter domos suorum filiorum et filiarum vivens* (cf. *Sacrosanctum Concilium* 42) (litterae cursivae sunt in textu). Necesse proinde est ut omnes, in fide, verum paroeciae vultum agnoscamus, id est “mysterium” ipsum Ecclesiae, quae per ipsam praesens fit atque operatur... Denique paroecia fundatur realitate quadam theologica, quandoquidem est *eucharistica communitas*» (litterae cursivae sunt in textu) (26, 1-2). «Ceterum, cum paroecia sit ipsa Ecclesia, media inter hominum domicilia...» (27,5). «Ut omnes huiusmodi paroeciae sint revera communitates christifidelium, auctoritates ecclesiales locales haec fovere debent: ... b) Parvas communitates ecclesiales basicas vel viventes quae appellantur, ubi fideles Verbum Dei inter se communicare possint et in servitio et amore exprimere» (26,4).

fideliū coetibus, qui in dioecesis ambitu exsurgunt vel exsurgere possunt *quique paroeciae non dicuntur*. Ad hoc sese referre, quamvis modo implicito, ipse textus videtur *Sacrosanctum Concilium* 42,1, ubi dicit: «*fideliū coetus, inter quos paroeciae... eminent*». Ergo paroeciae *non sunt soli* *fideliū coetus* in aliquius dioecesis ambitu, *sed existunt inter alios*.

Hi alii esse possunt — mihi videtur — saltem praesertim, vel cappellaniae (cf. can. 564 ss.) vel consociationes (cf. can. 298 ss.).

aa) *Cappellaniae* sunt «communitates aut peculiares coetus christifideliū» (cf. can. 564). Hi christifideles sunt «qui ob vitae condicionem ordinaria parochorum cura frui non valent, uti sunt migrantes, exsules, profugi, nomades, navigantes» (cf. can. 568), «milites» (cf. can. 569), aegroti et alii in valetudinariis, carcerati (cf. can. 566, § 2), membra instituti religiosi laicalis (cf. can. 567).

Ex hoc, cappellaniae videntur esse communitates christifideliū qui in aliquibus casibus sunt unius generis (illi qui sunt navigantes, aegroti vel alii in valetudinariis, carcerati, milites, religiosi), in aliis casibus sunt varii generis (migrantes, exsules, profugi, nomadi). Dum, ergo, in hoc secundo casu cappellaniae assimilari possunt paroeciis personalibus, in primo hoc minus verum videtur.

Activitates et attributiones cappellaniarum possunt his de causis esse variae in variis casibus. In aliquibus, vero, esse videntur solummodo aut praeva-lenter activitates liturgicae (cf. can. 566).

Pastor cappellaniae est presbyter ab Ordinario loci nominatus (cf. can. 565; 567) et functiones habere videtur quae functionibus parochi saltem similes sunt (cf. can. 566).

Similitudines et differentiae cappellaniam inter

ac paroeciam statui videntur ex his elementis:

— cappellania est communitas christifidelium cum capite presbytero ab Ordinario loci nominato; et in hoc cappellania assimilatur paroeciae;

— genera christifidelium et activitates cappellaniae determinanda sunt relate ad varios casus, de quibus antea diximus; et hic similitudo cum paroecia (quae semper habet omnes activitates Ecclesiae) videtur esse variabilis.

bb) *Consociationes christifidelium* sunt quidem communitates christifidelium (cf. can. 298 ss.), sed habent elementa peculiariora, quae sunt praesertim sequentia:

— quoad finalitates, consociationes habent unam finalitatem vel immo plures, tamen non omnes finalitates Ecclesiae;

— quoad membra, consociatio non est aperta omnibus christifidelibus, sed solum illis, qui libere consociationi adhaerent et quos libere consociatio in se admittit.

Haec duo elementa peculiaritatis iam sufficiunt ad claram distinctionem statuendam inter consociationem ac paroeciam.

Sed maxima differentia verificatur — mihi videtur — quoad elementum hierarchicum. Verum est quod consociationes publicae habent assistentem ecclesiasticum, idest sacerdotem, ab Episcopo dioecesano nominatum (cf. can. 317, § 1) et consociationes privatae habent consiliarium spiritualem, idest sacerdotem electum a consociatione et ab Ordinario loci confirmatum (cf. can. 324, § 2), tamen bene attendere debemus: hic sacerdos nullatenus assimilari potest parochi (vel cappellano), ex eo simpliciter quod assistens ecclesiasticus, vel consiliarius spiritualis, non est caput consociationis, sicut e contra parochus (vel

cappellanus) est caput paroeciae (vel cappellaniae). Etenim caput seu praeses consociationis est illud membrum a coetu designatum, dum assistens non est membrum, saltem normaliter, sed — sicut nomen ipsum indicat — solummodo ad-sistens, *apud* consociationem. A.v., consociatio iam completa in se est. Assistens est apud consociationem cum functionibus consilii, vigilantiae et ita porro. Et etiam cum assistens Eucharistiam celebrat, hoc facit non ut caput seu praeses coetus, sed ut sacerdos in servitium illius.

2. *Paroecia est «communitas» in significatione can. 515, § 1*

Uti iam diximus, verbum «communitas» de quo in can. 515, § 1, consulto electum est ad efferenda haec elementa: «dynamicam interactionem inter plures personas sub eodem Pastore unitas» et «adspectum communitarium»⁴².

His quidem freti elementis, nunc necessarium videtur ut omnia consecraria eruamus ex hoc conceptu paroeciae intellectae ut «communitatis».

Quid ergo significat quod paroecia est «communitas» iuxta can. 515, § 1?

Evidenter significat omnia illa quae supra explicavimus elucidantes conceptum paroeciae: haec est communitas et est quodammodo Ecclesia. Illa tamen praesupponimus nec iterum exprimere hic necesse est. Sed, tunc, quid *specificum* significat «communitas» de qua in can. 515, § 1?

Mihi videtur quod attentionem nostram dirigere debemus conceptui *unionis inter plures* et inde distinc-

⁴² Cf. supra I, 1, a.

tionem facere inter unionem *genericam seu ontologicam* et unionem *specificam seu concretam vel visibilem*.

Omnino evidenter, christifideles unionem *genericam seu ontologicam* habent inter se vi baptismatis et reliquis requisitis communionis ecclesialis. Hoc, tamen, non sufficit. Nostro in casu transire debemus ad unionem *specificam seu concretam vel visibilem*.

Aliis verbis, quatenus christifideles longe inter se manent, sunt, quidem, ontologice inter se uniti, minime, vero, concrete vel visibiliter. Unio ontologica fit *concreta vel visibilis* cum christifideles, in eodem loco habitantes vel in eundem concurrentes, sese ad invicem cognoscunt, in eadem ecclesia insimul Eucharistiam offerunt, sacramenta celebrant vel orant, ad invicem caritatem operantur, in communi decisiones sumunt, et ita porro. Ego fidelis huius paroeciae unitus sum vinculis ontologicis cum fidelibus totius mundi, sed unitus sum vinculis etiam cognitionis cum fidelibus meae paroeciae.

Haec ontologica unio ad concretum effectum deducta viget praecise in paroecia, *est* praecise paroecia.

Memoremur textum Concilii: «... et adlaborandum ut sensus communitatis paroecialis, imprimis vero in communi celebratione Missae dominicalis, floreat»⁴³.

Pastoraliter actuari debent omnia illa incepta, quibus christifideles possint insimul concurrere, insimul manere, sese ad invicem cognoscere et amare. Imprimis curari debet celebratio Missae festivae. Sed in textu Concilii adhibetur verbum «imprimis». Proin-

⁴³ *Sacrosanctum Concilium* 42,2.

de subintelleguntur alia incepta. Ex. gr.: concursus in celebrationem aliorum sacramentorum vel aliarum actionum liturgicarum; conventus post liturgiam; conventus plurium familiarum habitantium in magnis aedibus; festivitates et peregrinationes paroeciales; et ita porro.

Adhortatio Apostolica *Christifideles laici* sat opportune utitur pro paroecia locutione «familia»⁴⁴ et loquitur de «communitatibus ecclesialibus basicis vel viventibus»⁴⁵.

Efferenda erit relatio cum dioecesi, ex eo quod paroecia est communitas minor in ambitu communitatis amplioris; relatio cum Episcopo et cum eius programme pastoralis; relatio cum parocho, vices gerente Episcopi. In hoc sensu verba Concilii: «... eiusque relatio ad Episcopum»⁴⁶ et verba Codicis: «Cum proprio Episcopo et cum dioecesis presbyterio coope-retur, allaborans etiam ut fideles communionis paroecialis curam habeant, iidemque tum dioecesis tum Ecclesiae universae membra se sentiant operaque ad eandem communionem promovendam participant vel sustineant» (can. 529, § 2).

Unio effectiva, quae est paroecia — omnino

⁴⁴ Cf. n. 26,2: «... paroecia enim... est potius familia Dei, ut fraternitas in unum animata, est "domus familiaris convictus, fraterna et hospitalis" (Joannes Paulus II, *Catechesi tradendae* 67), est communitas christifidelium (can. 515, § 1)». Ita in n. 27,5: «per vivam christifidelium laicorum participationem... (paroecia est) domus patens omnibus serviendo aut, ut Ioannes XXIII dicere malebat, *vici fons* (la fontana del villaggio) ad quem omnes vici incolae accedant sitibundi». Optime etiam sese exprimit Romanus Pontifex in allocutione *Ad Episcopos Galliae*, cit., n. 3-4.

⁴⁵ Cf. n. 26,4.

⁴⁶ *Sacrosanctum Concilium* 42,2.

evidenter — non est statica, sed est activa⁴⁷: christifideles agunt et, qua uniti, agunt coniunctim vel, potius, communitas agit, est subiectum unitarium agens. Sed hoc introducit in aliud argumentum.

FRANCESCO COCCOPALMERIO

⁴⁷ Memoremur adhuc verba Coetus «De Populo Dei» de «dynamica interactione inter plures personas sub eodem Pastore unitas».